



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. con

Martes 25.04.2017

Carta del Santo Padre al Enviado Especial en la celebración del 550 aniversario de la llegada de la “Virgen de Scutari” a la iglesia de Genazzano dedicada a la “Virgen del Buen Consejo”(Santuario Nacional de Scutari, 26 abril 2017)

Como es sabido, el Santo Padre ha nombrado al Emmo. Card. Franc Rodé, C.M., Prefecto emérito de la Congregación para los Institutos de vida consagrada y las Sociedades de vida apostólica como su enviado especial en la celebración que tendrá lugar el 26 de abril en el Santuario Nacional de Scutari, con motivo de los 550 años de la llegada de la “Virgen de Scutari” a la iglesia de Genazzano, dedicada a la *Virgen del Buen Consejo*.

Publicamos a continuación la carta del Santo Padre:

Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

FRANCISCO S.R.E. Cardinali RODÉ, C.M.

Praefecto olim Congregationis pro Institutis vitae consecratae

et Societatibus vitae apostolicae

Quingentesima et quinquagesima anniversaria memoria appropinquante adventus praeclarae imaginis Dominae Scodrensis in sacram aedem Genatiani, prope Romam, Matri Boni Consilii dicatam, fideles dilectae terrae Albaniae Beatam Mariam Virginem singulari cultu prosequuntur eaque intercedente Salvatori gratias agunt pro omnibus beneficiis saeculorum decursu acceptis. In archidioecesi potissimum Scodrensi-Pulatensi varia incepta suscipiuntur in praeparanda praecipua festivitate die XXVI mensis Aprilis celebranda. Mater Dei enim, cuius memorata icona peculiari splendore eminet, christifideles Albanienses difficilibus temporibus auxiliis est prosecuta apud Filium suum et Dominum nostrum divina dona efflagitans. De hac re sanctus Ioannes Paulus II clare est locutus qui in visitatione apostolica in Albaniam die XXV mensis Aprilis anno MCMXCIII in cathedrali

Scodrensi lapidem benedixit novi sanctuarii aedificandi atque totum Albaniensem populum Matri Boni Consilii concredidit.

His rerum adiunctis diligenter consideratis Venerabilis Frater Angelus Massafra, O.F.M., Archiepiscopus Metropolita Scodrensis-Pulatensis atque Conferentiae Episcopalis Albaniensis Praeses, humanissime rogavit ut eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices memorato die gereret Nostramque erga istum populum dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui, Sloveniae clarus filius, olim pergrave munus Praefecti Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diligenter exercuisti, mentem Nostram vertimus atque Te hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad celebrationem quae die XXVI huius mensis Aprilis apud Sanctuarium Nationale Scodrense agetur.

Sollemni ibidem praesidebis Eucharistiae atque Archiepiscopum Metropolitam aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Optamus etiam ut de pondere Marialis cultus in historia Ecclesiae quae est in Albania loquens, omnes adstantes sermone tuo ad diligentiore usque modo viam per Mariam ad Iesum proseguendam cohortaberis.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur intercessionem ipsius Dominae Scodrensis invocantes atque beatorum martyrum Albaniensium Vincentii Prennushi et XXXVII Sociorum. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS
